

puritates tum ornamenta; etiam affectiones quantitativas æstimativè perstringit & scientificè pertractat.

§. 7. Unde sicut *Philosophia naturalis* hucusque semper contemplativè progressa *Scientiæ* nomen obtinet, licet non ubique demonstret, sed quamplurima tantùm ex observationibus & institutis experimentis animadversa nudè recenseat, ut ejus rei notitiam habeamus; ita *Grammatica*, quatenus *Orationis* & *Vocabulorum* habitudines & affectiones in *Etymologiâ* & *Syntaxi* contemplatur, ut intelligamus v. g. quem casum hoc vel illud verbum regat, utrum hoc vel illud cum hoc vel illo stare possit &c. licet non semper demonstratione, sed plerumq; saltem *Autorum* classicorum citatione, tanquam *experientiâ*, suas confirmet propositiones, *Scientiæ* nomen similiter tuetur. Quia tamen *Subiectum Grammaticæ* prorsus extremum habet necessitatis gradum, qui ad contingentiam nimium quantum propendet, vid. Sect. I. cap. 5. igitur si quis honorarium hoc *Scientiæ* vocabulum huic disciplinæ invideat, ei per me licebit *Peritia* potius quam *Scientiæ* voce *Grammaticam* contemplativam insignire.

§. 8. Sicut autem *Philosophus Naturalis* accedente saltem *exercitatione rerum* quarundam naturalium compositionem, divisionem, transmutationem &c. vel imitari vel juvare potest, unde *Scientia* sic in *Artem physicam* degenerat, quam quidem sibi certis regulis aut assuefactione communicatam etiam ille potest exercere, qui *Scientiâ* caret; Ita *Grammaticus* contemplativus accedente saltem *exercitatione vocabulorum & orationis compositionem, resolutionem, transpositionem &c.* non imitari tantum, sed verè efficere potest, unde *Scientia* sic in *Locutoriam, h. e. Artem sermocinalem* degenerat, quam ex crebrâ conversatione sibi communicatam etiam infans aut plebeius exercere potest, qui tamen *Scientiâ grammaticâ* caret. Interim *Grammatica à Philosophia Naturali* nimium quantum differt in hoc, quod illic, ut ipsum ejus *subiectum* originaliter & formaliter ab hominum (non quidem singulorum, sed omnium

Sicut Physi-
ca est Scien-
tia;

Ita Gram-
matica con-
templativa

Scientia di-
ci potest ant

Peritia.

Et ut Artes
Physicæ;

Ita Artes
Grammaticæ.

Utrarumq;
maxima
differentia.